

Y C

416

21. an 20

INCLVTÆ ACADEMIÆ  
IENENSI

ALVMNÆ SVÆ DVLCISSIMÆ  
DE CVLTV DIVINO

IN TEMPLO ACADEMICO

FERIA SECVND A PENTECOSTALI A. C. M DC LXXIII.

PER

VIRVM MAX: REVER: AMPLISS: EXCELL:

DN. CASPAREM SAGITTARIVM

S. S. THEOLOG. D. HISTOR. P. P.

TVM.

ACADEMIÆ RECTOREM MAGNIFICVM

HOSPITEM SVVM EXOPTATISSIMVM

MATVTINIS DOMINICÆ DIEI HORIS INCHOATO

GRATVLATVRI

HOC ANNVÆ MEMORIÆ POSVERE MONVMENTVM

FERIA SECVND A PENTEC. A. C. M DC LXXXIV.

SAGITTARIANI CONVICTORES.

IENÆ,

LITERIS NISIANIS.



*Fausta lux  
Festiva lux*

*quæ annuam producis memoriam  
rei non seculo bonorum memoria elapsuræ.*

*Annus est,  
tempus, quo velut in annulo gemma  
eam revolutione siderum*

*bene gestorum se sistit recordatio,  
cum*

*sub auspiciis auspiciatissimis  
Serenissimorum Saxoniae Ducum,  
Almæ hujus Salanae Nutritorum clemen-  
tissimorum*

*nutu Senatus Academici  
pro tutandis rebus suis vigili cura senescentis  
plaudentibus bonis omnibus ac  
feliciter acclamantibus*

*Te denique  
Sagittari celeberrime  
tum Rectore Magnifico  
hunc scopum unice intendente  
in eum cogitationum tela dirigente  
ac tandem ex voto collimante  
magnificentia Principali  
paulo ante restaurari cæptum*

*orna-*

ornamenta accepit intrinsecus  
Templum Academia nostræ  
a majoribus S. Paulo dicatum.

Bajis amœniora  
sibi moliri visus est ædificia  
qui bajulando Academico oneri successit  
quæ Dei sunt quærens Bajerus  
cum

quod ab eo viro sperari aliter non poterat  
hanc ædem

quibus licebat modis cultiorem redderet.

Et nunc

uti cætera cuncta administrat dextre

Magnificus Lynckerus

quanta ei divini sit cura juris  
novis indies indiciis confirmat.

O vero felicem vicissitudinem!

Triste olim in sacra æde silentium

nisi intervolantes aviculæ

creatorem suum laudaturæ

illud cantillantibus linguis interpellarent.

neque vero

si procul aspiceres

tutum satis accessum promittebant

temporum injuria vitium facientes muri

ruinam rimis minitantes pilæ

si ingredi auderes

obscura lux atque maligna

licet magnis hiatibus dies incideret

absterrere horrore non sacro

):( 2.

fast.

fastidiosiore vel in limine poterat.  
Sed bene actum cum rebus Academiae nostrae  
expulsa est è fano nostro profana vastitas  
ejecta sollicita solitudo  
nec amplius male cohaerentes lapides  
dissolutos nobis ac negligentiores exprobrant mores.  
Honor suus templo est restitutus  
templum Deo.

Superet sanè  
hoc templum nostrum  
canæ antiquitatis opinione  
septicollis urbis Pantheon.  
Qui in nostra aede colitur  
Antiquus dierum  
incana veneratione sua  
antiqua illa

quæ Pantheon habitarunt idola  
aut quæ novior Bonifaciana superstitio  
Mariæ rotundæ inesse jussit numima  
longe superat,  
cum nec

quæ apud vetustatis gloriæ cupidissimos  
Chinensium Bonzios  
in pulcerrimis templis  
deformes Deorum formæ prisco adorantur cultu  
ante delubra sua se fuisse meminerint.

Cedat nostrum magnitudine  
Fortunæ Prænestinae delubro;  
Vastitatem illius Fortunæ  
supplent compendiosa concinnitas & ordo  
hujus nostræ ædis

in

*in quam fortunæ nihil casive juris est.*  
Concedat seculorum atque impensarum dispendio  
Dianæ Ephesiæ marmoribus;  
nostrum templum majore studio  
majore animorum contentione  
restauratum atque exornatum est  
quam vel ante vel post fatale Herostrati incendium  
Asia tota ad Dianæum conferre potuit.  
Superbum triumphis Capitolium  
alto vertice emineat;  
in Paulino nostro  
de malis seculi moribus expugnatis triumphabitur.  
Donariis suis divitiisque plusquam regiis  
Lauretana virgo præpolleat,  
peregre affluentium multitudine  
Compostellanus Apostolus gloriatur,  
non desunt  
qui aut liberalitate sua ornare nostrum  
in Dei T. O. M. honorem  
aut pia frequentia illustrius reddere certent,  
quin  
nec Libani cedris nec Ophiritico auro  
Salomonæi templi  
lapides & tigna ædis nostræ  
quicquam concedunt;  
in umbra illic aurum resplendebat  
hic Sole utimur.  
Tuâ vero præcipuè sacrâ operâ  
Pientissime Vir  
divina in Paulino nostro audimus oracula  
Delphicis ac Dodonæis veriora

in  
nullis

nullis Ammonici deserti arenis inaccessa.

Tuâ solitudine  
asylum hic ostenditur iis  
qui maleferiatas seculi vanitates  
effugere ambiunt.

tuâ denique curâ  
hic indicantur remedia  
contra morosos affectuum morbos certiora  
quam quæ olim in Febris, Æsculapii  
ipsiusque præsidis medicorum Apollinis  
affigebantur delubris.

Sic omnis veterum templorum gloria superatur.

Vos igitur felices

**Principes munificentissimi**

**Saxonie heroes**

quorum sumtu glorioso

resurgunt *Deo dicatur moles,*

quorum subtutamine

crescit in iis & augetur

religionis veræ reverentia.

Crescat & augeatur

augustissimum rutetum vestrum

atque fatum laureti Cesarum effugiens

obumbret porro feliciter

ædem scholamque nostram.

Bene Tibi

**alma mater Academia**

quæ deficere non potes

quamdiu membra & artus tuos

Numinis amor regit

Flore

Flore vige vire  
Sanctos Templorum praesides  
strenuos Iustitiae vindices  
felices salutis humanae custodes  
ingeniosos Sapientiae humanae indagatores  
omnes sacra Deo pectora  
effinge porro gnauiter.

Bene Vobis sit

Academiae Patres conscripti

religiosissimi Templarii  
quorum haec nutu praecipue studio favore  
gesta sunt & geruntur.

Vobis haec de templo Deoque cura sit salutaris  
maioresque inde bonorum cumuli proveniant  
quam Templariis priscis affluxere  
Hierosolymitani templi custodibus.

Sic porro ut caepisti

strenue rem gere, sapienter ac fortiter

Magnifice Lynckere

qui Apollinis instar obtines  
in Musarum nostrarum fano,  
sic tua salus, doctrina, Virtus  
salutem, doctrinam, Virtutem nostram erigat.

Sic vos

quod facere vestrum est, facere pergite.

Venerandi caelestis doctrinae diribitores

qui & alias sacra in templo nostro procuratis  
quorum praecipuum est votum  
omnes in populo Domini  
instar Eldadi & Medadi

divina

divina eloqui elogia,  
promovete porro opus, urgete  
Dei gloriae felicissimi futuri assertores.

Bene sit & Tibi

Sagittari venerabilis

qui non prece non pretio  
non vanâ mundi gloria adductus  
superatis masculè si quæ obstare videbantur  
& exornare templum

& Deo tuo sacra in eo facere cœpisti  
thymiamatibus multis & hecatonthysiis gratiora.

Sic te Deus amet

quemadmodum tu sincero pectore  
honorem ejus & amorem vindicas.

Sic sanctissimum Flamen conatibus tuis aspiret.

Sint tua verba sagittæ

sint tela quæ cordibus hominum illapsa  
pravas rerum mundanarum cupiditates configant.

Sic bene posthac

cum Ecclesia nostra & Academia agetur.

Et quoniam tuo

non pepercit fortuna labori

sancto huic aliquando tuo

par sit fortuna labori.



t.

N



*[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



Ms. 416. 2<sup>o</sup>

ULB Halle 3  
003 899 721




Sb.

V. 17

ms.





21. an 20

INCL

DEMIÆ

IN  
FERIA SECV

SI

SSIMÆ

DE MICO

C. M DC LXXXIII.

DN. CAS

SS: EXCELL:

GITTARIVM

R. P. P.

ACADE

MAGNIFICVM

HO

TISSIMVM

MATVT

RIS INCHOATO

HOC ANNVA

E MONVMENTVM

FERIA

M DC LXXXIV.

SAGITT

INVICTORES.

NIS.



14

